



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Resp. Poenæ damntorum in æternum duraturæ sunt.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)

cedens peccatum, quo deseritur, peccatorem deserat per subtractionem auxiliorum illorum specialium, quibus antea adjuvabat hominem, & sic deserendo permittat in alia & graviora peccata incidere. Homo enim auxilium illis destitutus, gravius tentatur, majoribus passionum ætibus concutitur, effrenem magis concupiscentiam experitur, ad spiritualia minus ac minus, ad sensibilia verò magis ac magis afficitur, sicque sensum in plura & graviora peccata labitur. Ita docet S. Augustinus loco citato, ubi sic ait: *Cum ergo dicitur homo tradi desiderijs suis, inde fit reus, quia desertus à Deo, cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur: à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est: & sic ei peccatum consequens præcedentis pœna peccati.*

ARTICULUS III.

Utrum peccata mortalia, non remissa, puniantur pœna æterna; vel, quod idem est, utrum pœna damnatorum sine æterna.

NOta. Unicuique peccato mortali duplex responderet pœna: una damni, quæ consistit in carentia visionis beatificæ, seu in exclusione à regno Cælorum, juxta illud 1. Corinth. cap. 6. *Iniqui regnum Dei non possidebunt*; altera verò sensus, quæ consistit in dolore, quem infligit ignis infernalis, juxta illud Matth. cap. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*. Utriusque pœnæ hanc rationem reddit S. Thomas hic qu. 87. art. 4. in O. quia peccatum mortale est averſio à Deo, & conversio ad creaturam. Sub primo respectu meretur pœnam damni, quia æquum est, ut qui se sponte averſit à Deo, nunquam in ejus conspectum admittatur. Sub secundo respectu meretur pœnam sensus, quia æquum est, ut qui inordinatè convertit se ad creaturam cum gravi injuria creatoris, patiatur aliquid à creatura. Sed quaeritur utrum hanc utramque pœnam damnati in æternum passuri sint? Negavit Origenes, ut refert S. Augustinus in lib. de hæresibus, hæref. 43. & alij referunt apud Petavium lib. 3. de Angelis cap. 6. & ex ejus scriptis probat idem Author. Origenes igitur plus æquo Platonis doctrinæ adductus, docuit pœnas damnatorum non fore æternas; sed demones & homines reprobos, post varia tormentorum genera, tandem liberatum iri. Origenis errorem hunc amplexi sunt Sociniani. Sed contra illos sit

RESPONSIO.

Pœnæ damnatorum in æternum duraturæ sunt. Est de fide.

Prob. 1. Ex Scriptura tum veteri, tum nova. Nam dicitur Isaia cap. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et c. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Matth. c. 3. *Palcas autem comburet igni inextinguibilis.* Et c. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. 2. Thess. c. 1. *Qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi.... pœnas dabunt in interitu æternas.* Apocal. cap. 14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Nec juvat advertatios, quòd dicunt æternitatem in Scripturis sæpè sumi tantum pro longissima aliqua duratione: nam sumitur etiam pro duratione finem nunquam habitura; & in hoc sensu sumi, cum de pœnæ damnatorum duratione agitur, non solum docet Tractatio, sed etiam ipsa Scriptura, ubi dicitur: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* *Palcas autem comburet igni inextinguibili.* *Fumus tormentorum ascendet in sæcula sæculorum.*

Prob. 2. Ex CC. Nam 1. ut refert Nicephorus Callisti lib. 17. cap. 27. & 28. Origenes à quinta Synodo damnatus fuit, quòd diceret, omnium impiorum hominum, ipsorumque etiam demonum tormenta finem

habitura, atque impios & demones in priorem suum statum restitutum iri. Præterea Christum oportere pro demonibus crucifigi, & idipsum sapius per futura sæcula à spiritibus nequitiæ, qui sunt in coelestibus. 2. Cap. Firmiter Concilii Later. IV. legitur, reprobos pœnam perpetuam recepturos esse cum Diabolo. 3. Conc. Trident. sess. 6. can. 25. & sess. 14. can. 5. vocat æternas pœnas damnatorum. Concilia autem æternitatem pro longissima tantum duratione accipere, & ita vocem illam in significatione tantum impropria sumere, dici non potest sine perverſacia.

Prob. 3. Ex unanimi Patrum consensu. Pro omnibus hic sint, Justinus apologia 2. mihi, pag. 29. *Injustos in perpetuo sensu una cum malis genijs in ignem mittit sempiternum.* Irenæus lib. 4. adversus hæreses cap. 47. *Pœna eorum, qui non credunt verbo Dei, & contemnunt ejus adventum, & convertuntur retrorsum, adimplata est, non solum temporalis, sed & æterna facta.* Tertullianus apologeticus cap. 45. *Nos qui sub Deo omnium speculatore dispungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus, merito soli innocentia occurrimus.* Lactantius lib. 7. cap. 26. *Eodem tempore fiet secunda illa & publica omnium resurrectio, in qua excitabuntur injusti ad cruciatus sempiternos.* Chrysostomus hom. 9. in 1. ad Cor. *Non est hæc parva, quæ proponitur, questio... an finem habeat ignis gehennæ? Nam quòd non habeat, Christus pronuntiavit, dicens: Ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non desinet.* Augustinus lib. 21. de Civ. Dei cap. 9. *Quòd de sempiterno supplicio damnatorum per suum Prophetam Deus dixit, fiet omnino, fiet, vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Leo Magnus ser. 4. de Collectis c. 3. *Quis istam sortem æternorum cruciatuum non paveſcat? quis mala nunquam finienda non timeat? Et Fulgentius lib. 2. de remiss. peccatorum cap. 13. *Permanebit cruciamentorum perennis sensus in mortuis, ubi miseris mori non conceditur in pœnis.... Per hoc semper cum corpore suo morietur anima, cum quo sine fine cogetur æterna communicare tormenta.**

Prob. 4. Ratione. Quia peccatum mortale, cum sit gravis offensa contra personam infinitæ simplicitatis excellentiæ, imperfectè licet & inadæquatè cognitam, habet malitiam superioris ordinis ad malitiam gravium offensarum contra creaturas majorum & majorum in infinitum. Ergo quantum est ex se, meretur pœnam superioris ordinis ad pœnam, debitam gravibus offensis contra creaturas majoribus & majoribus in infinitum. Atqui talis pœna non potest esse nisi pœna acerbissima & æterna. Ergo peccatum mortale quodlibet, quantum est ex se, meretur pœnam acerbissimam & æternam. Ergo Deus pro supremo suo in creaturas suas dominio potuit justè prohibere omnia peccata mortalia sub pœna acerbissima & æterna. Sub tali autem pœna re ipsa prohibere omnia peccata mortalia satis superque constat ex Scriptura & Traditione.

Obj. 1. Ex Scriptura Deus est summè clemens & misericors. Atqui talis non esset, si peccatum mortale æterna pœna puniret. Item ipsius misericordia superat ejus justiciam, juxta illud Psalm. 144. *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Atqui justitia ejus major est, quàm misericordia, si punit in æternum peccatores. Item Psalm. 102. dicitur: *Non in perpetuum irascetur, neque in æternum comminabitur.* Item de impijs ait Isaia cap. 24. *Congregabuntur... in lacum, & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur.* Item Marci cap. 12. dicitur de Phariseis: *Accipient prolixius judicium.* Ergo pœnæ damnatorum non sunt æquales in duratione. Item Apocal. cap. 20. dicitur: *Beatus & sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem.* Atqui hæc secunda mors non potest esse, nisi impiorum annihilatio. Ergo tandem aliquando annihilabuntur, ac proinde non cruciabuntur in æternum.

R. ad 1. Deum esse misericordem & justum, ita tamen,

tamen, ut misericordiam præcipue exerceat in hac vita, dando locum & tempus poenitentiae peccatoribus, peccatores excitando ad poenitentiam, peccatoribus poenitentiam agentibus condonando peccata, peccatoribus iustificatis graves poenas pro peccatis condonatis sive in hac sive in altera vita luendas remittendo propter opera leviter poenalia, &c. iustitiam vero in altera, sanctos remunerando, & impios puniendo in aeternum. Misericordia autem Dei dicitur superare iustitiam duobus modis. 1. Quia licet potuerit iuste propter peccatum originale omnes homines, nullo excepto, excludere a regno coelorum, voluit tamen omnes proprio sanguine redimere, omnibusque coelum aperire, & ad in illud intrandum auxilia idonea subministrare; imò quam plurimis ex illis non solum iustificationis gratiam, sed etiam finalem in iustitia perseverantiam donare; in quibus omnibus relucet summa misericordia & clementia. 2. Quia, ut docent communiter Theologi, in inferno poena damnatorum minus acerba est, quam in rigore deberet esse. Ex his patet Resp. ad 2.

Resp. ad 3. Hanc vocem, *visitare*, sæpe in Scripturis sumi in malam partem, nempe pro punire & percutere, ut patet ex eodem Propheta cap. 26. ubi ait: *Visitasti & contrivisti eos*. Eodem autem sensu accipitur cap. 24. cum dicitur: *Post multos dies visitabuntur*. Et perinde est ac si diceretur: In aeternum punientur. Resp. ad 4. Hoc loco dici Pharisæos accepturos esse iudicium prolixius, non quantum ad durationem, cum poenae impiorum in inferno sint æquales in duratione; sed quantum ad acerbitatem. Resp. ad 5. Per hanc secundam mortem intelligi supplicium æternum damnatorum. Pro quo: *Nata*, in Scripturis identidem nomen mortis pro tormentis & cruciatibus usurpari.

Obj. 2. Poena damni & sensus æternum duratura, est poena simpliciter infinita in æstimatione morali. Atqui peccatum mortale non meretur poenam simpliciter infinitam. Ergo, &c. Minor constat ex dictis aliis, ubi de gravitate peccati mortalis. *Prob. maj.* Nam poena acerbissima, qualis est poena sensus & damni, licet in se finita, maior est secundum æstimationem moralem in ratione poenae, quam poena infinitè simpliciter acerba, sed tandem post tempus aliquod desitura. Unde nemo est compos rationis, qui hanc potius quam illam pati non præoptaret. Ergo, &c. R. neg. maj. *Ad prob. R.* conced. ant. sed neg. conseq. Itaque neque poena ulla in se finita, quamvis acerbissima & nunquam desitura, neque poena infinitè simpliciter acerba, sed aliquando desitura, est poena simpliciter infinita in ratione poenae, quia potest cogitari aliquid in ratione poenae majus, nempe poena simpliciter infinita non solum in acerbitate, sed etiam in duratione: qualem poenam mereri non potest gravis offensa etiam contra personam infinitè simpliciter dignitatis, imperfectè tantum ac inadæquatè cognitam, & eò imperfectius atque inadæquatius cognitam, quò major est & excellentior ejus dignitas. Unde Deus talem poenam nec infligit, nec iuste posset Deus infligere peccatoribus.

Obj. 3. S. Iustinum martyrem in dialogo cum Tryphone; ubi satis insinuat animas impiorum aliquando annihilandas: *Quæ digna sunt*, inquit, ut coram Deo appareant, non moriuntur amplius; illa autem (nempe impiorum animæ) excruciantur, quoad eas & esse & excruciarì vult Deus. Idem facit S. Irenæus lib. 2. adversus hæres. cap. 64. Omnia, inquit, quæ facta sunt, initium quidem facturae suæ habent, perseverant autem quoadque ea Deus & esse & perseverare voluerit. Et paulò inferius: Qui servaverit datum vitæ, & gratias egerit ei qui præstitit, accipiet & in seculum seculi longitudinem dierum. Qui autem ingratus extiterit factori & non cognoverit eum qui præstat, ipse se privavit in seculo seculi perseverantia. Resp. 1. Utrumque illum Patrem expressè agnoscere locis supra laudatis aeternitatem poenarum in damnatis, quæ aeternitas sine

animarum immortalitate esse non potest. Resp. 2. S. Iustinum loco allegato voluisse tantum asserere immortalitatem animarum sanctarum, impiarum verò immortalitatem neque negare, neque affirmare; quia quid de illa sentiret, expressè declarare tunc necesse non erat. Resp. 3. S. Irenæum loco citato nihil aliud velle, quam malos & erga Deum ingratos privare se bona aeternitate, seu, ut loquimur communiter, vita æterna, & mortem secundam, quæ in tormentis & cruciatibus inferni consistit, meritis ob scelera sua incurrere.

Obj. 4. S. Gregorius Nyssenus pluribus locis negat poenarum aeternitatem, ut lib. de anima & resurrectione, paulò ante medium: *Vitiositate*, inquit, longis seculorum anfractibus & circuitibus aliquando abolita atque extincta, nihil præter bonum relinquitur. Sed etiam demones concorditer & consentienter dominationem Christi confitebuntur. Et oratione catechetica cap. 26. Cum per longum, inquit, temporis ambitum ablatum fuerit malum, quod nunc est eis immixtum & coalitum, & eorum, qui nunc jacent in malis, in antiquum statum facta fuerit restitutio, una voce agentur gratias ab universa creatura, & ab iis, qui castigati fuerint in purgatione, & ab iis, qui ne omnino quidem opus habuerunt, ut purgarentur. His autem locis & aliis similibus clarè videtur docere demones & impios homines, post longissimum aliquod à resurrectione corporum tempus, tormentis expurgatos, tandem salvatum iri. Ergo, &c. Resp. vel cum Petavio nostro dicendum esse, quòd Gregorius Nyssenus hac in parte fuerit implicatus erroribus Origenis, vel hac in parte Gregorii Nysseni opera ab Origenistis fuisse corrupta, ut contendit S. Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, relatus & laudatus à Photio in Biblioth. Quam secundam responsum libenter amplectimur, putamusque S. Germani & Photii hominum Græcorum suffragium prævalere debere suffragio Petavii, & aliorum aliorum recentiorum, Latinorum hominum, qui verba à nobis relata ipsi Gregorio attribuant propter stilum, & dicendi characterem: quasi verò hæretici non potuerint ad amissum imitari stilum & dicendi characterem Scriptoris Catholici, aut de stilo & dicendi characterè sanius Latini quam Græci judicare potuerint.

Obj. 5. S. Hieronymus in primo dialogo contra Pelagian. sub persona Attici sic loquitur: *Illud verò, quod in sequenti ponis capitulo, in die iudicii iniquis & peccatoribus non parcendum, sed aeternis eos ignibus exurendos, ferre quis potest, & interdicere te misericordiam Dei, & ante diem iudicii de sententia iudicis judicare? Ut si voluerit iniquis & peccatoribus parcere, te præscribente, non possit! Dicis enim; Scriptum est in centesimo tertio Psalmo: Deficiant peccatores à terra, & iniqui, ita ut non sint. Et in Esaia: Comburentur iniqui & peccatores simul, & qui relinquunt Deum consummabuntur. Et non intelligis comminationem Dei interdum sonare clementiam. Non enim dicit aeternis ignibus exurendos, sed à terra deficere, & iniquos esse cessare: aliud enim est ipsos à peccato & iniquitate desistere, & aliud ipsos perire in perpetuum, & aeternis ignibus concremari. Denique Esaia de quo ponis testimonium (Comburentur peccatores & iniqui simul,) non addidit: In aeternum (& qui relinquunt Deum consummabuntur,) propriè hoc de hæreticis loquitur, qui rectum fidei tramitem relinquentes, consummabuntur, si noluerint ad Dominum reverti, quem dereliquerunt ... Deinde ejus es temeritatis iniquos & peccatores impiis jungere, qui à nobis sic deserviunt: Omnis impius iniquus est & peccator; nec recipiatur, ut possimus dicere: Omnis peccator & iniquus etiam impius est. Impietas enim propriè ad eos pertinet, qui noveritiam Dei non habent, vel cognitam transgressione mutarunt. Peccatum autem & iniquitas pro qualitate vitiorum post peccati & iniquitatis vulnera recipit sanitatem. Unde scriptum est, Multa flagella peccatoris, & non, Interitus sempiternus, & Per omnia flagella*

flagella & cruciatus emendatur Israel... Sine lege impius est qui in aeternum peribit, in lege peccator credens in Deum, qui per legem iudicabitur, & non peribit. Si peccatores & iniqui aeternis ignibus exurentur, non times sententiam tuam, qui iniquum & peccatorem te esse dicis? & argumentaris hominem non esse sine peccato, sed esse posse. Ergo solus ille salvetur, qui nunquam fuit, nec est, sed futurus est, aut forsitan nec futurus, & pereant omnes, quos retro fuisse legimus... Si iustus es, & humilitate simulas peccatorem, mirabimur atque gaudebimus habere te solum & possidere cum sociis, quod nec Patriarcharum, nec Apostolorum quispiam habuit. Si autem Origenes omnes rationabiles creaturas dicit non esse perdendas, & diabolo tribuit poenitentiam, quid ad nos, qui & diabolum & satellites ejus, omnesque impios & praevaricatores dicimus perire perpetuo, & Christianos, si in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post penas? Quibus verbis videtur S. Hieronymus docuisse solos infideles cum diabolo & angelis ejus, aeternis ignibus exurendos in inferno; Christianos vero omnes, etiam eos, qui post gravia peccata commissa, & ante actam poenitentiam morte praeventi fuerint, post poenam ignis, diu pro qualitate & numero criminum toleratam, tandem à cruciatibus liberandos & salvandos esse.

R. Duplex est sententia. Prima est Petavii, & aliorum recentiorum, & concedit S. Hieronymum hac in re humanitatis lapsus esse. Probari potest hac sententia; quia 1. S. Hieronymus videtur Pelagium reprehendere, quod generaliter dicat peccatores & iniquos aeternis ignibus exurendos, & hoc dicendo asserat aeternis ignibus exurendos non solum haereticos & alios infideles, sed etiam credentes & fideles mortalis culpa reos, proindeque videtur sentire solos haereticos & alios infideles exurendos aeternis ignibus.

2. Videtur textus Scripturae, quibus peccatores dicuntur aeterno supplicio plectendi, restringere ad solos impios, hoc nomine intelligendo eos tantum, qui nunquam crediderunt, vel à fide defecerunt.

3. Indefinitè dicit Christianos, qui in peccato praeventi fuerint, salvandos esse post penas, & in eo tantum videtur reprehendere Origenem, quod docuerit omnes omnino creaturas rationabiles aliquando salvandas, proindeque diabolum cum angelis ejus, & impiis seu infidelibus, non perire perpetuo.

4. Sic videtur argumentari contra Pelagium, & hanc universalem ejus propositionem, Nullis peccatoribus & iniquis parcat Deus, sed omnes exurentur aeternis ignibus, sic impugnare: Soli impii aeternis ignibus exurentur. Atqui non omnes peccatores & iniqui sunt impii: nam omnis quidem impius est peccator & iniquus, at non omnis peccator & iniquus, est impius; cum impietas sit eorum tantum, qui aut nunquam credunt, aut in fide non perseverant. Ergo non omnes peccatores & iniqui aeternis ignibus exurentur. Ergo, quod idem est, aliqui peccatores & iniqui non exurentur aeternis ignibus, id nimirum, qui fidem habent Christi, & in fide Christi usque in finem perseverant. Ergo Christiani, etiam peccatores & iniqui, non exurentur aeternis ignibus, sed post penas laecleribus suis proportionatas salvabuntur. Hoc igitur discrimen interesse videtur, juxta S. Hieronymum, inter infidelem & fidelem peccatorem, quod hunc Deus cædet magistri & parentis affectu; in illum tanquam contra inimicum crudeli animo defecit: ille in Scriptura dicitur non resurrecturus in judicio, quia propter infidelitatem jam praedudatus est in aeternam perditionem; hic non resurrecturus in concilio justorum, quia gloriam perdet resurrectionis, seu quia non resurget cum gloria, sicut iusti resurgent, sed non peribit perpetuo: Aliud est, inquit S. Hieronymus ibidem, cedere magistri & parentis affectu, aliud contra adversarios crudeli animo defecere; quam ob causam & in primo psalmo canitur: Quoniam non resurgent impii in judicio, jam enim in perditionem sunt praedudati; neque peccatores in Concilio justorum: aliud enim est gloriam perdere resurgendi, aliud perire perpetuo, &c.

Simonne Theol. Tom. I.

5. In comment. ad ultimum Isaia versiculum refert sententiam eorum, qui volunt supplicia aliquando finiri, & licet post multa tempora, tamen terminum habere tormenta; & textus Scripturae, quibus hanc suam sententiam probant, neque illam ipse damnat, sed potius videtur illi subscribere, cum aliqua tamen restrictione, subjiciendo: Sicut diaboli & omnium peccatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, Non est Deus, credimus aeterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, moderatam arbitramur & mixtam clementiae sententiam iudicis. Quae postrema verba videtur intelligi non posse, nisi de poenis aliquando finiendis.

6. Denique ad Hieronymum videtur alludere Augustinus, cum ait in Enchiridio cap. 67. Creduntur à quibusdam etiam ii, qui nomen Christi non relinquunt, & ejus lavacro in Ecclesia baptizantur, nec ab ea ullo schismate vel heresi praeciduntur, in quantislibet sceleribus vivant, quae nec diluant poenitendo, nec elemosynis redimant, sed in eis usque ad hujus vitae ultimum diem pertinacissime perseverant, salvi futuri per ignem, licet pro magnitudine facinorum flagitiorumque, diuturno, non tamen aeterno igne puniri: sed qui hoc credunt, & tamen Catholici sunt, humana quadam benevolentia mihi falli videntur: nam Scriptura divina aliud consulta respondet.... Ex his autem postremis verbis liquet tempore sancti Hieronymi & Augustini, quod omnes omnino, qui in statu peccati mortalis decedunt, siue fideles sint, siue non, igne aeterno exurendi sint in inferno, non fuisse rem ita certam & exploratam in Ecclesia, ut contrarium defendi non posset sine nota haereticis, & caruerit omni omnino verisimilitudine.

Secunda sententia benignior ab errore vindicat S. Hieronymum, asseritque eum non aliud sensisse, scribendo contra Pelagium, quam quod sentiunt nunc Catholici omnes. Quam sententiam alteri facile an-reponimus. Nam rectè dici potest S. Hieronymus illud Pelagii: In die iudicii iniqui & peccatoribus non esse parcendum, sed aeternis eos ignibus exurendos, reprehendere eodem sensu, quo reprehenderant Pelagii delatores apud Episcopos Palaestinae. Reprehenderant autem, ut testatur S. Augustinus in libro de gestis Pelagii cap. 3. quia videbatur hoc ita à Pelagio dictum esse, tanquam omnes peccatores aeterno essent supplicio puniendi, non eis exceptis, qui fundamentum habent Christum (cujus scilicet non solum fidem, verum etiam charitatem habent) quamvis superadificent ligna, fenum, stipulam, de quibus dicit Apostolus: Si cuius opus exustum fuerit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Illa autem Pelagii propositio non fuit damnata in Palaestina Synodo, quia de ea interrogatus respondit, hoc secundum evangelium se dixisse, ubi dicitur de peccatoribus, Illi ibunt in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam, & nullo modo potuit Christianis iudicibus evangelica & dominica displicere sententia, nescientibus quid in verbis de libro Pelagii prolatis moverit fratres, qui disputationes ejus vel discipulorum ejus audire consueverunt. Quando his absentibus, qui libellum contra Pelagium sancto Episcopo Eulogio dederunt, nullus urgebat ut peccatores per ignem salvandos, à peccatoribus aeterno supplicio puniendis, aliqua exceptione distingueret. Ex his

Colligo. Hieronymum, sicut & Pelagii delatores, credidisse, vel saltem non leviter suspicatos esse, Pelagium in ea fuisse sententia, quod omnia omnino peccata inducerent reatum damnationis aeternae, & ita omnes omnino, cuiuscumque peccati reos, aeterno supplicio puniendos; & iustos, qui in vitam aeternam ituri sunt, eos tantum esse, qui expertes essent omnis omnino peccati. Pelagium igitur loco citato exagitat Hieronymum, quod iniqui & peccatoribus non parcendum, sed aeternis eos ignibus exurendos, posuisset generaliter, nec peccatores per ignem salvandos, à peccatoribus aeterno supplicio puniendis aliqua exceptione distingueret; & ita quod velle videretur, omnes om-

Ec ninò

ninò peccatores, hoc est, omnes omninò cuiuscumque peccati reos, aeterno supplicio puniendos, & consequenter non exceptis iis, quos Apostolus excipit, qui nimirum fundamentum habent Christum, quamvis superedificent ligna, sœnum, stipulam, de quibus dicit Apostolus: Si cuius opus exustum fuerit, detrimentum patietur: ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem.

Hieronymus igitur indefinitam Pelagii propositionem fallam esse contendit, non quia voluit solos impios seu infideles aeternis ignibus exurendos, sed quia quod longè aliud est, voluit non omnes peccatores & iniquos aeternis exurendos ignibus: per peccatores & iniquos intelligendo non eos tantum, qui gravium culparum rei sunt, sed eos omnes, qui peccaverunt, sive graviter sive leviter tantum peccaverint, & cum reatu culparum aliquarum, sive gravium sive levium ex hac vita decedunt. Quod autem, qui ex vita decedunt cum levium tantum culparum reatu, aeternis non sint ignibus exurendi, sed solum temporaneo sint igne purgandi, & postea salvandi, docet Apostolus, cum ait eos qui fidei & charitati Christi superedificant ligna, sœnum, stipulam, detrimentum quidem aliquod passuros, sed tamen per ignem salvos fore.

Hanc fuisse mentem S. Hieronymi declaratur amplius, 1. ex loco in objectione allegato, ubi sic loquitur: Si peccatores & iniqui aeternis ignibus exuruntur, non times sententiam tuam, qui iniquum & peccatorem te esse dicis? & argumentaris hominem non esse sine peccato, sed esse posse. Ergo solus ille salvetur, qui nondum fuit, nec est, sed futurus est, aut forsitan nec futurus, & pereant omnes, quos retrò fuisse legimus... Si iustus es, & humilitate simulas peccatorem, mirabimur atque gaudebimus habere te solum, & possidere cum sociis, quod nec Patriarcharum nec Apostolorum quispiam habuit. Quibus verbis S. Doctor contra Pelagium æquivalenter argumentatur in hunc modum: Si generaliter verum est quod dicis, iniquos & peccatores aeternis ignibus exurendos; omnes omninò homines, qui hæcenus existerunt, etiam ipsi Patriarchæ & Apostoli, in æternum perire necesse est; nam nullus hominum hæcenus caruit omni peccato, etiam personali: imò nullus futurus est, qui salvetur, quia nullus futurus est, qui non sit aliquando peccator: atque ita si generaliter verum est quod dicis, iniquos & peccatores aeternis exurendos ignibus, nullus planè hominum ex iis, qui aut fuerunt, aut nondum sunt, sed erunt, salutem consecutus vel consecuturus est. At hoc quis ferre potest? Ex hac autem S. Doctoris argumentatione manifestum videtur, ab eo reprehendi Pelagium, non quod præter impios & infideles, alios etiam, nempe Christianos peccatores aeternis ignibus addiceret propter gravia peccata; sed quia tam indefinitè loquendo, videbatur aeternis ignibus addicere omnes omninò, qui aliquando peccassent, ac proinde etiam eos, qui cum culparum, quantumlibet ex se venialium reatu decessissent: quod erat intolerabile.

Declaratur 2. ex commentario ad c. 3. Jonæ Prophetæ, ubi expressis verbis refellit errorem Origenis, & dicit peccatores, seu gravium criminum reos, sive infideles fuerint, sive fideles, cum diabolo & angelis ejus in æternum ignem mittendos, eorumque vermem non esse moriturum, nec eorum ignem esse extinguendum: Hoc, inquit, quia Scriptura sancta non dicit, & evertit penitus timorem Dei, dum facile homines labuntur in vitia, putantes etiam diabolum, qui auctor malorum est, & omnium peccatorum fons, acta penitentia posse salvari, de nostris mentibus abiciamus; & sciamus peccatores in Evangelio mitti in ignem æternum, qui preparatus sit diabolo & angelis ejus, & de his dici: Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Et paulò inferius in futuram illam post multa sæcula rerum omnium restitutionem per conversionem, ac purgationem demonum aliorumque damnatorum, quam commentus erat Origenes, invehitur his verbis: Si omnes rationabiles creature æquales sunt, &

vel ex virtutibus, vel ex vitiis, sponte propria aut sursum eriguntur, aut in ima merguntur, & longo post circuitu, atque infinitis sæculis omnium rerum restitutio fiet, & una dignitas militantium; quæ distantia erit inter virginem & prostibulum? quæ differentia erit inter Matrem Domini, & (quod dictum quod scelus est) victimas libidinum publicarum? Finge quodlibet, annos & tempora duplica, & infinitas ætates congere cruciatibus: si finis omnium similis est, præteritum omne pro nihilo est, quia non querimus quid aliquando fuerimus, sed quid semper futuri sumus.

Si tormenta demonum, inquit S. Doctor, & aliorum damnatorum, quantumvis supponantur duratura infinitis propè sæculis, tandem aliquando finem habitura sunt, & illis finitis, rationabiles creaturæ omnes in æternum futuræ sunt beatæ, quæ distantia erit inter virginem & prostibulum? quæ differentia erit inter Matrem Domini, & victimas libidinum publicarum? Præterita enim damnatorum supplicia pro nihilo erunt; parum enim curamus quid aliquando fuerimus, sed consideratione dignum est illud tantum, quod futuri in æternum sumus. Sensit igitur S. Doctor prostibula, & victimas libidinum publicarum, aliosque gravium ejusmodi peccatorum reos aeterno supplicio punitum iri. At etiam inter Christianos sunt prostibula, victimæ libidinum publicarum, aliosque gravium hujusmodi peccatorum rei. Ergo S. Doctor tenet, etiam Christianos, cum gravium culparum reatu decedentes, aeternis ignibus exurendos. Itaque nego primæ sententiæ interpretationem.

Ad ea autem quæ pro illa afferuntur momenta, Resp. 1. S. Doctorem solum velle, loca à Pelagio allegata, aut perperam citari ad probandum ignem æternum, aut generaliter intelligenda non esse, nisi de impiis, quo nomine intelligendi sunt ii tantum, qui aut fidem Christi non habent, aut ab ea deficiunt.

2. S. Doctorem, cum ait: Christianos, si in peccato præventi fuerint, salvandos esse pœnas, non loqui de omnibus omninò Christianis, sive de Christianis etiam gravium culparum reis; sed de iis tantum, qui cum levibus culpis moriuntur; loquitur enim de Christianis non prævaricatoribus; cum Christianos, de quibus loquitur, contradistinguat à prævaricatoribus, & prævaricatores, seu gravium peccatorum reos, expressè dicat perire perpetuò.

3. Argumentum num. 4. propositum imponit S. Doctori, ut patet ex dictis in 1. declar.

4. Illud, quod dicit S. Doctor: Aliud est gloriam perdere resurgendi, aliud perire perpetuò, & quod difficultatem habet, explicari posse. Nam sic loquitur S. Doctor loco in obj. allegato: Scriptum est, Multa flagella peccatoris, & non, Interitus sempiternus, & Per omnia flagella atque cruciatus emendatur Israel. Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Aliud est cadere magistri & parentis affectu, aliud contra adversarios crudeli animo deservire; quam ob causam & in primo psalmo canitur: Quoniam non resurgunt impii in iudicio; jam enim in perditionem sunt præjudicati; neque peccatores in concilio iustorum: aliud enim est gloriam perdere resurgendi, aliud perire perpetuò. En manifestè de iis, quos ait S. Doctor non resurgere in concilio iustorum, & ita gloriam perdere resurrectionis, dicit: Quem diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit. Aliud est cadere magistri & parentis affectu, &c. Ergo cum dicit peccatores non resurgere in concilio iustorum, &c. non loquitur de gravibus peccatoribus, quos potius intelligit nomine impiorum & adversariorum Dei; sed de hominibus reis multorum venialium, quos dicit non resurgere cum eadem gloria, quacum resurgunt homines eximie sancti, quos nomine iustorum intelligit.

5. Illud, quod dicit Augustinus in Enchir. c. 67. non pertinet ad Hieronymum, sed ad eos, de quibus Hiero-

Hieronymus ipse loquitur in comment. ad ultimum Isaia versiculum, cum ait: *Qui volunt supplicia aliquando finire, & licet post multa tempora tamen terminum habere tormenta, his utuntur testimoniis . . . , quæ omnia replicant, asseruere cupientes post cruciatum atque tormenta futura refrigeria.* Quam sententiam manifestè refert, non ut suam, sed ut alienam: neque eam approbare dici potest, quia subjicit: *Sicut diaboli & omnium peccatorum atque impiorum, qui dixerunt in corde suo: Non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum atque impiorum, & tamen Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, moderatam arbitramur, & mixtam clementiam sententiam iudicis.* Nihil enim aliud velle videtur, quam Christianos impios in inferno infra condignum puniendos, quia in Christi fide & confessione usque in finem perseverarunt. Quod confirmatur ex commentario ad cap. 3. Jonæ Prophetæ, ubi verbis suprà relatis probat æternas fore damnatorum penas.

Dices. S. Hieronymus reprehendit Pelagium, quod fideles peccatores cum infidelibus confunderet. *Resp.* Reprehendisse quidem, non quia ipse putabat solos infideles æternis ignibus exurendos, sed quia non omnes fideles peccatores æternis exurendos ignibus sentiebat, quod longè aliud est; non quod vellet mortalia peccata fidelibus ad æternam damnationem non imputari, sed quod vellet multos è fidelibus ex hac vita decedere cum levibus tantum peccatis, & quorum proinde opera in igne quidem probanda sint, at non æterno supplicio plectenda. Pro quo

Nota. Nomine peccatoris & iniqui non intelligebant Hieronymus & alii Scriptores Ecclesiastici tunc temporis, quod nos in scholis & extra scholas intelligimus. Peccatorem enim & iniquum dicimus eum omnem & solum, qui graviter Deum offendit, & propter gravem Dei offensam gratia sanctificante privatus est, & odium Dei ac reatum æternæ damnationis incurrit: illi verò peccatorem & iniquum dicebant eum omnem, qui Deum offenderat, & propter Dei offensam aliqua Dei indignatione & pœnâ dignus erat. Unde peccatores & iniquos in duplici constituebant classe, eorum scilicet qui propter graves offensas gravem Dei indignationem & reatum pœnæ æternæ incurrerant; & eorum, qui propter offensas leves incurrerant levem Dei indignationem, & reatum pœnæ temporalis. In prima ponebant infideles omnes, & quidem merito; cum nullus sit infidelis, qui gravis offensæ reus non sit: in secunda verò multos fideles, eos scilicet, qui aut Deum nunquam graviter offenderunt, aut si graviter offenderunt, post offensam gravem Deo reconciliati, nonnisi venialium culparum rei esse possunt.

Ex his facillè apparet, quo sensu reprehendebant hanc Pelagii propositionem, *iniquos & peccatores æternis ignibus exurendos.* Tancum enim volebant, non omnes peccatores simul cum impiis in æternum ignem damnandos esse, seu non omnes fideles peccatores, simul cum infidelibus in æternum ignem damnandos esse, quia non omnia peccata inducunt reatum damnationis æternæ, & aliqui, imò multi fideles, eatenus moriuntur peccatores & iniqui, quatenus moriuntur cum reatu levium tantum culparum; cum è contra omnes ii, qui in infidelitate moriuntur, in æternum ignem damnandi sint, quia moriuntur omnes in statu peccati mortalis, ac proinde cum reatu damnationis æternæ.

Pelagius è contra omnes peccatores simul cum impiis, hoc est, fideles omnes, cujuscumque peccati reos, cum infidelibus in æternum ignem esse damnandos, si nimirum, quod semper supplendum est, non obtemperant à Deo venia, moriuntur, assererat; quia vel putabat nulla esse levia peccata, vel peccatis etiam levibus ignem æternum præparatum esse. Patet ex ipsis Pelagii verbis, à Mercatore relatis cap. 4. Commonitorii, & quæ hæc sunt: *Odiosè, maledicere & invidere, mentiri, detrabere &*

detrabentibus credere, leve aut nullum putatur esse peccatum: Sed hi, qui hoc putant, obliiti sunt quoniam & levius præcepti obnoxios gehennæ legimus esse mancipandos: dixisse enim Dominum manifestum est: Quicumque dixerit fratri suo, Fatue, vel Raca, reus erit gehennæ. In re igitur, cum inter Pelagium & Hieronymum, aliosque Catholicos Doctores ageretur de hac propositione, *iniquis & peccatoribus non parcendum, sed æternis eos ignibus exurendos;* in re, inquam, agebatur utrùm omnia peccata essent mortalia, vel an levibus etiam transgressionibus æternum supplicium retribuendum esset. Alterutrum è duobus asserbat Pelagius, unde consequenter asserbat nullis peccatoribus parcendum, sed omnes æternis ignibus exurendos. Utrumque negabat Hieronymus, unde consequenter negabat, nullis peccatoribus & iniquis parcendum, omnesque æternis exurendos ignibus, & contendebat parcendum multis peccatoribus, qui Christiani fuerunt, eosque igne tantum temporaneo purgandos propter levia peccata, quæ in hac vita non expiarunt. Iniquiores igitur videntur esse erga S. Hieronymum recentiores nonnulli, dum illum Semi-Origenistam faciunt, quamquam ejus verba aliquid habeant obscuritatis, & in sinistram sentiam cum aliquali verisimilitudine detorqueri queant.

Porro perperam nobis adhuc objiceretur S. Doctorem errorem Origenis in comment. ad cap. 1. Ephes. expressis verbis amplecti: nam ipse in apologia 1. contra Ruffin. respondet se ibi, non suam, sed alterius explanationem attulisse, & hoc se facere potuisse, fidei suæ non amittendo veritatem. Unde pro S. Doctore contra ejus adversarios colligimus, eum maxime abhorruisse à sententia eorum, qui tenebant, non modò diabolum, sed etiam omnes alios damnatos, post aliquot cruciatuum sæcula liberandos, & æternam felicitatem consecuturos.

Obj. Ecclesia pro damnatis orat in Missa pro defunctis, in qua dicitur: *Libera, Domine, animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profunda lacu; libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus.* *Resp.* Hac oratione Ecclesiam nihil aliud petere, quam ut animæ fidelium in gratia defunctorum à pœnis purgatorii liberentur. Hæc autem oratio ex precibus, quæ olim in commendatione animæ, in extremo agone positæ, fundebantur, in Missam pro defunctis translata est, hac voce *defunctorum* superaddita.

Dices. S. Augustin. in Enchir. c. 110. docet fideliū preces & alia pietatis opera prodesse damnatis. *Resp.* dist. Docet prodesse damnatis, ut omnino liberentur à pœnis, N. Ut aliquid refrigerii & levamenti in pœnis accipiant, C. Cum ergo, inquit, *sacrificia sive altaris sive quarumcumque elemosinarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiatio- nes sunt; pro valde malis, etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus autem profunt, aut ad hoc profunt, ut sit plena remissio, aut certe tolerabilior fiat ipsa damnatio.*

Porro hic etiam contra penarum æternitatem solent objici S. Gregor. Nazianz. in orat. 39. in sancta lumina. Sed ibi loquitur de igne Purgatorii, quem vocat postremum baptismum. S. Basilii in comment. ad cap. 4. Isaia. Sed ibi videtur loqui metaphoricè, cum ait: *Qui post acceptam Dei notitiam, consilio ac studio se ipsos reddunt obnoxios sanguini, utique tales opus est purgari per ignem; nec aliud velle, quam tales gravius peccare, proindeque gravius puniendos.* Præterea, homil. in Psalm. 33. dicit reprobos passuros esse *probrum & verecundiam sempiternam.* Et S. Ambrosius in exposit. in Psalm. 118. ferm. 20. n. 22. Sed ibi obscurus est; & alibi, nempe lib. de lapsu virginis consecrata cap. 8. apertè asserit penarum æternitatem. *Ego tamen, inquit, qui scio graviora facinorosis servari tormenta, & sine fine impias animas cruciatus manere, non temporales utique, sed æternos, aliis te volo cruciatibus affici, pro futuris utique, non animam perdituris.*